



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. An ministrari Eucharistia possit indigno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPVT VI.

De ministro Communione.

DE Communione ministro qui est solus Sacerdos, & ex commissione ipsius, urgente aliqua causa, & semper quando instat mors alicuius, deficientis tamen Sacerdotis, Diaconus. Ita Suar. de Eucharist. disp. 7. sect. 1. Delugo de Euchar. disp. 18. sect. num. 27 aliqua tetigimus in praecedentibus. Verum nunc in proprio loco nonnulla sunt, ad complementum tractationis, addenda.

§ I. Quo habitu, quo die, qua hora, quibus circumstantiis est ministranda Eucharistia.

DE statu gratiae an requiratur in ministrante tantum Sacramentum, diximus per occasionem, supra cap. 1. §. 7. num. 59. Nunc ergo caetera quaedam, de exteriorum pertinentia, sic breuiter percurramus.

1. Primum, non opus est, ut Sacerdos hoc Sacramentum ministrans, sit ieiunus: siquidem in nullo iure praeceditur. Ita Bonacina de Euchar. disp. 4. §. 5. p. n. 4.

2. Secundum, omni anni tempore ministrari potest. Dubitatur tamen an possit die Parasceves, hoc est Veneris Sancti, quando certum est non licere Sacerdoti celebrare, sed solum, ex praefatis die antecedenti communicare. Sic Delugo de Euchar. disp. 20. sect. 1. n. 14. Dico posse: ut extra periculum mortis non esse passim in usu. Sic Hurtad. de Sacrific. disp. 4. diff. 2. citans Suar. Vals. Layman. (in illo enim periculo posse, immo debere non est dubium.) Hic tamen non usus nequaquam inducit obligationem peccati eo die communicanti, sed decetia duntaxat, propter merorem passionis Domini nostri: & sicubi usus est communicandi, iam est decetia ratio, ipso usu sic interpretante, cessat.

3. Tertium, mane ministrari solet: sed Vesperti, vel interimperta nocte, possit ieiunus ministrari, etiam extra mortis necessitatem: Sic Sa. de Euchar. n. 19. Suar. de Euchar. disp. 69. sec. 4. quod tamen est facile concedendum propter populi admirationem, Sic Coninch. Bonac. de Sacram. disp. 2. qua. 7. puncto 1. n. 14.

4. Quartum, ex Bonacina ibid. quest. 5. p. 2. a num. 8. Parocho non licet Eucharistiam ad infirmum deferre, sine stola, & superpelliceo, & non praecedente lumine, nec idem tenetur, si timeat praepropetam infirmi mortem, valde scilicet currere: quia videntur haec reuerentiae debita repugnare: quamvis possit ex Bonac. ibid. extremam unctionem sine tanta solemnitate deferre: quia Sacramentum Oleum materia est Sacramenti, non vero Sacramentum, At ad baptizandum, vel absolvendum infirmum, qui secus creditur in mortali moriturus, non solum possit, sed etiam currere minister debet: Sic ibidem, quia id non cedit in ullius Sacramenti irreuerentiam: & ex alia parte maxime proximi charitas urget.

§ II. An ministrari Eucharistia possit indigno.

In hac quaestione, qua quaeritur: An ei, qui cognoscitur esse in statu peccati mortalis portigi a Sacerdote, sine peccato, communicatio possit. Certum est Primum, Ministrum per se loquendo, quando saltem commode, & sine ullo inconvenienti valet, non posse

Part. II.

ei quem mortaliter indignum positivè certò congosci (nam in dubio quilibet praesumendus est bonus, & communicandus) saltem ob regulam generalem, qua obligamur vitare, & impedire proximorum peccata, quando commode possumus. Ita Suar. de Euchar. disp. 67. sect. 1. Ruffus certum est ibid. nec posse invitare, aut alicui indigno suadere, ut recipiat Sacramentum, saltem quando non adest necessitas. Sic idem disp. 8. sect. 2. §. sed quare Bonac. disp. 1. de Sacram. q. 5. p. 4. n. 6. Ratio est quia id esset movere directè ad peccandum.

8. Certum est secundò, Publico peccatori petenti siue publice, siue secretò Sacramentum, non posse sine peccato ministrari. Ita Suar. ib. & passim. Recentiores Ratio est, quia obstat illud Matth. 7. Nolite Sanctum dare canibus: obstat reverentia Christo Domino debita, obstat cooperatio cum alieno peccato.

9. Iuvabit tamen hic exscribere quae affert pro praxi circa publicum peccatorem Caramuel lib. 3. Th. mor. num. 139. i. Vsurarii (inquit) publici, communes peccatores alii quando tanguntur à Deo & respiciunt, &c. unde me consule, magno consilio, & examine utaris antequam publice petenti Eucharistiam neges publice; & quia in Aliari nec tempus examinandi suppetit, nec dantur quos consilium possit, ubicunque praxia resolutione antequam eo veneris Sancti & coram Deo non staueris negare Eucharistiam tali persona, si petet, concedito, nam negare est res gravissima, quae non debet fieri impetu extemporaneo. Ego quidem prima vice nemini mortali negarem, quem non scirem certò esse in omnium opinione non baptizatum, delirum, aut arbitrii impotem. Si certò scirem meretricem habitare in lupanari. Vsurarium in telonio, & ex Aliari ad has domos iterum peccatores, & populum scandalizatos reverti (sed quando similia monstra actionum data!) audacter Communione negarem.

10. Certum est tertio, Peccatori occulto publice penitenti Eucharistiam siue à simplici Sacerdote, siue à Parocho, cum par sit ratio, denegandam non esse: Sic Suar. alique quos citat & sequitur Delugo de Sacram. disp. 8. sect. 10. quia omnes habent obligationem non laedendi famam proximi, & ex alio capite, sibi imputet peccator, quod indignè sumit, cum Minister totum, quod ex se facit, sit tale, ut possit esse bonum, & sine peccato. Sic idem Delugo ibid. sect. 1. n. 181.

11. Certum est quarto, Peccatori occulto, secretò petenti denegandum esse: Ita Doctores citati: quia tunc nulla sequitur peccatori infamia, & consequenter Sacerdos non habet excusationem unde concedere cogatur. Illud igitur hic maxime est pro praxi, considerandum, equisnam dicatur in hac materia publicus, quis occultus peccator. Placet modus id explicandi traditus à Suar. de Euchar. disp. 67. a sect. 5. vide etiam Fagund. praecip. Eccles. lib. 2. c. 10. quem ut faciliorem reddam, & breviorē, his sequentibus regulis distinguo.

Regula Prima.

12. Si peccatum petentis Sacramentum sciatur ab aliis, coram quibus petitur, dicitur publicum, sanè respectivè ad hoc: quare illi denegandum erit Sacramentum, semper praec oculis habendo ea, quae n. 3. insinuat. Ratio est, quia iam non sequitur in famia ex denegatione. Certò autem tunc, licet occultè, dicitur his constare petentis peccatum: quando vel ipse extra confessionem Sacramentalem illud fallus est (nam si intra illam, dicam mox n. 20.) vel ipsi altantes viderunt, vel à fide dignis audierunt, certoque sciunt petentem nondum fuisse illud Sacramentaliter confessum: id enim est certò constare illum esse graviter indignum.

Secunda Regula.

13. Si peccatum petentis Sacramentum sit evidens, evidenti iuris, vel evidenti facti, tunc licet aliquibus praesentibus sit ignotum, dicitur petens publicus peccator

H 2

atque

atque adeo denegandum erit illi Sacramentum, dum tamen dictorum *num. 9.* immemor non sis. Ratio est eadem, quia iam non sequitur simpliciter nova infamia, cum per eam publicitatem amiserit ille omne ius ad suam famam.

14. At quamnam est evidentia iuris, quæ facti? Respondetur, iuris est, quando iudicet quis convictus est de crimine per propriam confessionem, vel per sententiam declarationem iudicis, sive id sciatur à multis, sive à paucis: Facti est, quando notitia facti peccaminosi tam publica est, ut iudicet manifestatio æquivalet: quod contingit, quando tam publicum est delictum, ut nulla tergiversatione celari possit. At hoc ipsum quæritur: & quando est tale, ut nulla tergiversatione celari queat? Dico, id non posse universaliter colligi ex numero personarum: ut aliqui censent, sed prudentia opus esse: ut pensata qualitate loci, delicti, & personarum, quibus est peccatum notum, iudicetur, an sit tale, ut mortaliter nulla ratione possit in occulto retineri.

15. Vnum hic dubitari potest, an quando peccatum est publicum notum in uno loco, dicatur etiam, pro hac nostra materia, notum in alio: ita ut peccator per sententiam, vel per evidentiam facti Romæ, v. g. publicis si perat hic Patroini, ubi eius peccatum divulgatum non est, repelli debeat à Sacramento: videtur enim cum *Lessio lib. 2. c. 11. dub. 13.* aliisque non esse repellendum ex illa communiore sententia, quæ tenetur esse illicitum, si non propter iustitiam certe propter charitatem, crimen alicuius in aliquo loco publicum, in alio, ubi nescitur, manifestare. Dico (communiore sententia) nam est alia sententia *Fagund. præc. Eccl. 2. lib. 5. cap. 3. n. 14.* & 16. sanè probabilis, quæ docet non esse illicitum mortaliter, neque contra iustitiam, neque contra charitatem, saltem quando nondum recuperavit bene vivendo bonam famam: quia per publicitatem amisit ille omne prius ius ad famam suam.

16. Respondetur tamen ad dubitationem. Primò difficulter in praxi occurrere posse fortasse casum iuxta ea quæ *num. 9.* attulimus: tum quia non facillè credendum est rumoribus populi: tum quia potest rationabiliter à Christiano præsumi talem peccatorem iam fuisse emendatum, atque adeo concedendum illi Sacramentum. Respondetur secundò. Si forte occurrat aliquando casus dico debere repellere à sacramento: quia in hoc casu etiam iuxta communiorem prædictam sententiam cessat, ius charitatis pro illo. Ratio est, quia charitas dicitur quidem, non debere propalari illud crimen, sine causa rationabili: at hic adest causa rationabilis manifestandi, cum iniquè talis se gerat, & sacrilegè, petendo indigne Sacramentum. Scio *Fagundez 3. Eccl. præc. lib. 3. cap. 10. n. 7.* & 8. contendere hunc non debere repellere: quia si repellatur (inquit,) certò infamabitur. At iam videmus illam non illicite infamari, seu, ut loquar, non simpliciter infamari, cum supponatur iam amisisse famam, & nunc cessare etiam ius charitatis. Scio etiam *Henriquez ab eodem Fagundez citatum*, dare optionem ministro, ut possit admittere, & possit repellere, cum pro utraque parte sint rationes probabiles: scio, inquam, hæc sed non nostra sententia videtur probabilior.

Tertia regula.

17. Si peccatum petentis Sacramentum aliqui non sit publicum, sit tamen notum aliquibus præsentibus, ubi sit petitio, aliquibus autem notum non sit (etiam si uni tantum ex præsentibus non sit notum, quia par est ratio) non potest denegari Sacramentum. Ratio regula est: quia solum per publicitatem, id est, per evidentiam iuris, vel facti amittit quis ius famæ. Ergo in aliis casibus, licet facillimè probationis, servanda est proximi fama. Dices: at, qui notunt exstantibus scandalizabuntur, quod datur à te Sacramentum, illi, quem ipsi indignum cognoscunt. Respondetur hoc fore scandalum passivum, quia scire debent hunc non amisisse ius

petendi, cum nondum sit publicus peccator: & iudicare debent inter ipsos aliquem adesse, qui petentis nesciat.

Quarta regula.

18. Propter suspicionem probabilem, multò si suspicio sit temeraria, hoc est, sine fundamento potest denegari Sacramentum. At verò propter suspicionem violentam, debet Sacramentum, non negari, sed occultari: hoc est, si suspicio violenta occulta, debet negari tum publice, tum privatim peccatori: occultè & clausè est, quia temeraria habilis suspicio illi peccatori ius famæ non tollit: verò suspicio, cum æquivalet evidentie, ius famæ tollit. 19. At quamnam est violenta suspicio? Est illa, inquitur, quæ signis, & indiciis, ut, ex nulla bili ratione, id, quod ex illis nasci videtur, obscurari valeat: sive, quæ tales habet coniecturas, nihil appareat, quod contrarium suadere possit. Tale est commune exemplum, nudum cum da invenire, ad suspicandum turpem congressum.

De peccatore cognito ex Confessione.

20. Petes primò, qui ex confessione Sacramentum petentis exillere in statu peccati mortali, ne illum repellere? Respondetur. Quamvis alij dicant, non debere repellere, sed potest. Sed datur posse, imò debere repellere. Verius puto cum *Eccl. præc. 3. lib. 2. cap. 11. n. 23.* non posse: tunc tere ei vel occultissime petenti, Communionem concedere. Ratio est quia sigillum confessionis, ita obligat, ut nihil externè fieri possit, per quod peccatis penitentis peccatum exprobari, etiam si solus peccator nitens advertat. Hinc inferunt aliqui: Si Peccator agrotum non absolvit, quia non erat bene dispositus & deinde vult agrotus ipse, vel confanguineus per ipsum, ut Eucharistiam deferat ad infernum: possit (& debere) deferre nulla prius habita ratione in confessione habita. Ita Ioan. Bapt. Novatus in *moral. lib. 2. cap. 4. quæst. 17.* Recole quæ in *Appendix cedentis Opusculi* dixi de Sigillo Confessionis *cap. 6. §. 2.*

Quotupliciter peccat qui communicat indigne.

21. Petes secundò. Qui peccatori publico peccato Eucharistiam, vniuersum, an deo peccata communiter cooperando cum alterius peccato, alterius delictum suum officium exhibendo. Respondetur. Puto cum *Præpos. de Euchar. quæst. 80. num. 23.* vniuersum, quod dicitur confert Sacramentum indigno: vtrique enim malitia vniuersum constat saltem in ordine ad confessionem mortale peccatum.

De ministrante Hostiam non consecratam.

22. Petes tertio. Licetne peccatori occulto ministrare Hostiam non consecratam, quod externè apparet illum communicari: ut vitetur sic eius infamia. Respondetur. Quidam dicant aliqui, censio non licere. Alii ostendendo assistantibus consecratam, & dando peccatori non consecratam, sive quocunque alio modo. Ratio est, quia semper adest periculum idololatricæ, immo materialis. Lege *Delogo de Sacram. disp. 8. sess. 1. n. 14.*

Hactenus egimus de ministrante indigne peccatore nam quid dicendum de petente ab indignis ministris colligi potest ex dictis supra *cap. 5. §. 4.*

§. III. Quam debeat penitentiam exhibere sive publicam sive occultam peccator, ut ad Communionem admitti possit.

23. Si peccator sanus, occultè petat, sufficit egisse scilicet esse: idque Sacerdoti aliisque, qui forte delinquantur peccatum, constet. Ita Suarez de *Eucharistia sess. 2. §. Inquiri autem.* Si verò publice petat, necesse

pari modo, ut publice constet penitentia, sive confesso, pro ratione status peccati, ita ut bona ipsius dispositio manifesta sit. Ita idem *ibid.* Ratio utriusque dicti est, quia sic Sacramentum dignè coram Deo, & hominibus tradatur. Dixi, constet: nam si dubitetur de penitentia, non sufficit: quia possidet certitudo peccati: cum contra, si dubites de peccato; potes, ac debes illum communicare: quia possidet bona fama penitentis, atque adeo petens præsumitur bonus, ut supra innui n. 7.

24. At si peccator, quantumvis publicus, (qualis est v.g. meretrix publica) in mortis articulo sit constitutus; satis erit, ex eodem *ibid.* si pro temporis opportunitate, & angustia, vel ritè confiteatur, vel si hoc nequeat, signa contritionis exhibeat, iuxta ea quæ diximus cap. 5. §. 8. num. 16. & ad evitandum scandalum publicetur, quantum fieri potest, dicta confessio: de cuius publici peccatoris confessione vide quæ dixi in *Methodo Confessionis lib. 1. cap. 3. §. 5.* Ratio est, quia tunc, propter particulam, urgentemque necessitatem non est maior diligentia extorquenda, quam illa quæ commodè exhiberi potest, & ex alia parte de quolibet Fidei præsumitur, eo in articulo facere pro sua salute quantum potest. Addunt aliqui ad meretricem graviter deum in lupanari, seu loco publico peccati, etiam si confessio ritè fuerit, non esse deferendam Sacram. Eucharistiam: esse, si in domo privata iaceat, propter reverentiam Sacramenti. Ita Ioan. Bapt. Novatus in *decis. moral. lib. 2. cap. 2. quest. 13.* Puto tamen, ubi hæc loca publicæ sunt esse servandam consuetudinem eius Ecclesiæ quæ potuit declarare, quid melius expediret, sicut ad terrorem aliarum. Nam cæterum Christi Dominus ad peccatores, præsertim contritos, libenter dicitur.

§. IV. An laicus, vel inferior Diacono ministrare unquam possit Eucharistiam

25. Docent aliqui cum Delugo de *Euch. disput. 18. sect. 1.* nonquam, ne ex commissione quidem Sacerdotis, nec urgente ulla mortis necessitate, hos posse, vel ubi, vel aliis ministrare hoc Sacramentum. Ratio est fatis antiquissima, & constans consuetudo Ecclesiæ in contrarium. Aliqui, in extrema necessitate, etiam aliis, & multo magis sibi concedunt, quando nullus esset Sacerdos, vel Diaconus, & infirmus sine Viatico, moretur, ita Suarez de *Euch. 7. disput. 7. 2. sect. 18. ultimo dicendum, & sect. 1. in fine.* Valent. tom. 4. *disput. 6. quest. 1. q. p. 1.* hæc vero. Ratio est, quia non videtur id prohibitum, nec iure humano, nec divino: cum semper excepta intelligatur extrema necessitas.

26. Aliqui denique concedunt inferioribus Diacono, ne etiam laicis, ad se ipsos, instante morte, communicandos, non vero ad alios. Favet Layman, Suarez, alii, que cit. à Delugo *dicta sect. 1.* qui item fatetur id esse probabile. Ratio est, quia sic interpretantur hi consuetudinem in contrarium. Prædictæ sententiæ, etiam habent bonos auctores, nec spernendas rationes, sunt omnes, fatis propter auctoritatem extrinsecam, probabiles.

27. At, quot peccata committit, qui se ipsum in mortali communicat? Respondeo. Suarez de *Euchar. disput. 7. sect. 1. §. 1. sed queret aliquis*, docet in hoc peccato esse duas malitias alteram sacrilegæ receptionis, alteram inhil. lis administrationis illud certum dico (quod nobis satis est) ex his constari unicum peccatum adeoque satis esse in confessione sic manifestare: *Communicavi me ipsum graviter indignè.* Sicuti qui celebrat in peccato mortali, satis se explicat, dicendo: *Celebravi indignè graviter.*

§. V. An extra sacrificium possit se ipsum Sacerdos communicare.

28. Licet probabiliter aliqui cum Filliuc. tom. 1. *tract. 4. cap. 9. num. 285.* negent, probabiliter

etiam & alij cum Suarez de *Euchar. disput. 7. 2. sect. 3.* concedunt, posse Sacerdotem, non solum in extrema mortis necessitate; sed etiam devotionis causa se ipsum, extra sacrificium, communicare, si non adsit alius Sacerdos, qui ipsum communicare possit. Ratio est quia cum non adsit, pro hoc Sacramento, præceptum distinctionis personæ eius, qui recipit, & eius qui dat Sacramentum, sufficiens, & rationalis causa iudicanda est; absente alio Sacerdote Sacerdotem refici velle sacra Eucharistia. An id possit Sacerdos facere non solum mane, sed etiam post meridiem, vide supra §. 1. n. 5.

29. Quid si adsit Diaconus? Debere à manibus Diaconi accipere docent aliqui cum Fagund. *præcept. Eccl. 3. lib. 3. cap. 7. num. 7.* sed & alij posse docent, suis manibus; Sic Suarez *disput. 7. 2. sect. 3.* vide Delugo de *Euch. disput. 18. sect. 1.* utriusque probabiliter. Ratio prioris sententiæ est, quia nulla rationalis causa est sibi ministrandi. Ratio posterioris est, quia ex præsentia Diaconi, cui solum competit, ex commissione Sacerdotis, ministrare hoc Sacramentum, non impeditur ius Sacerdotis sibi ministrandi: nam potest uti iure suo, & non committere, & sic aderit carentia legitimi ministri. Id quod non potest dici, quando adest alius Sacerdos: hic enim de iure ordinario ministrat, atque adeo, præsentem ipso, qui potest, ille prior Sacerdos, cum non careat legitimo ministro, non iudicabitur habere rationabilem causam non observandi consuetudinem accipiendi Communionem extra sacrificium, à manibus legitime porrigentis.

§. VI. An Sacerdos possit communicare ministrare partem sua Hostia.

30. Puto aliquando fieri convenientissimè posse, Ita S. V. *Euch. num. 15.* Ioan. Sanchez in *select. disput. 22. num. 21.* Henriquez, Sylvester, Granadus cit. à Diana p. 5. *tract. res. 14.* Ratio optima ducenda est, cum Delugo de *Euchar. disput. 20. sect. 1. num. 69.* ex ipso Christi instituentis exemplo, qui fregit panem, & dedit. Cum igitur nihil in hoc Ecclesiæ expresse prohibuerit: si adsit causa rationalis, non efficitur à nobis damnetur. Non nego, si adsint aliæ particulæ consecratae, decentius particulam porrigi, cum ita ferat consuetudo: illud non, esse inconveniens, ex ipsa Christi primaria institutione docto.

Neque obstat consuetudo in contrarium: tum quia ego cum essem iunior, vidi Sacerdotes id facientes, sine umbra ut tunc mihi videbatur, scrupuli: tum quia, etiam si alicubi sit, non constat an habeat vim prohibitionis, cum non constet, an cuiusmodi consuetudo observetur, ut necessaria, & obligans (id quod ex Hurtad. de *Euch. disput. 2. diff. 9.* loquente de consuetudine consecrandi in Missa, constare debet ad hoc ut consuetudo habeat vim legis) an vero tantum ut quid decentius, seu, ut castigatius loquar, ut quid expeditius: fatemur enim quod per formulas minores, quæ sint in promptu facilis expediantur fidelium laicorum communionem, quam per partem Hostiæ Sacerdotis.

31. Obiicies. At in *Missali Romano de defectibus* Missæ iubetur, quod si Sacerdos, post consecrationem incidat in morbum, debeat ab alio Sacerdote finire Missa, & communicari infirmus Sacerdos, parte ipsius Hostiæ consecrata, quamvis, sit alia formula consecrata, hæc potius infirmo porrigenda sit: Hæc *ibid.* Ecce requiritur summa necessitas: nam solum conceditur, infirmo Sacerdoti, deficientibus aliis formulis. Respondeo hanc Rubricam esse bene intelligendam nam tota intentio Ecclesiæ, in hoc eventu est, ut infirmus Sacerdos participet de Sacrificio à se inchoato. Unde Gavantus in *Rubric. Missalis p. 3. tit. 10. num. 3. litt. A*, *ibid.* (*Dividat Hostiam*) sic habet. Ita convenit, quia partem habuit ille prior in consecratione. Ergo etiam in sumptione. Hæc Gavantus. Et sanè videtur statutum in c. *Reatum* 11. de *Consecrat. dist. 2. ibi.* Nam. quare erit illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse cognoscatur. Hoc

posito, sic te debes ritè hac in te gerere. Si adint in Altari particula consecrata, simul cum Hostia grandiore, consecrata, inquam, ab ipso Sacerdote infirmo (de quo casu solum loquitur Missale) potest dari ipsi, vel pars Hostia grandioris, vel melius (hoc est, expeditius) una ex dictis particulis. At si non adint particula consecrata ab ipso infirmo Sacerdote, sed fortè ab alio servata in sacario; cettè non danda est una ex illis particulis, sed pars Hostia grandioris: ut nimirum sic Sacerdos infirmus participet de suo sacrificio. Et de hoc casu non expresse hic loquitur Missale, cum satis ipsi fuerit invenire intentionem Ecclesie esse: ut Sacerdos, quantum fieri potest, de suo Sacrificio, ut dictum est, participet.

32. Atque ex his paret responsio ad obiectum: non enim absolute prohibetur, sed solum ut quid decentius notatur, quando absunt alie formulæ ab infirmo consecratae, illas & non partem grandioris Hostia Sacerdoti, multo etiam magis laico communicaturo distribui: id quod contra traditam à nobis doctrinam, non est.

6. VII. An tempore Interdicti generalis ministrari communicatio possit?

33. Potest solum pro viatico sive infirmis, sive mortuiniendis. Ita Suarez de *Confess. diff. 33. sct. 1. n. 22. alique passim*: quia casus necessitatis exceptus est: ut etiam excipitur confessio. Imo confessio, propter maiorem eius necessitatem, semper, nec solum instante morte, excipitur. Ita idem: Modo, si quis dederit causam Interdicto, etiam & ille, qui esset specialiter interdictus, satisfaciatur, vel det sufficientem cautionem pignoratitiam, fideiussoriam, vel si talem non possit, iuratoriam, ante absolutionem. Sic Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 2. n. 1. Quod si non satisfecit, propter inadvertentiam, vel aliud ante absolutionem, puto satisfaciendum esse ante Viatici sumptionem.

34. Parochus ergo, & hoc impedito, aliquis ex Sacerdotibus, Eucharistiam, cum solito comitatu, & luminariis, propter Christi reverentiam, ad infirmos, etiam tali tempore, deferre tunc poterit. Solum adverte cum Bonac. de *Interdict. 5 p. 3. s. 2. n. 1. & passim*, eos Sacerdotes, qui causam dederunt Interdicto, quia ab

Eucharistia ministranda, peccati iure prohibentur tempore interdicti; ideo, secluso necessitatis casu, non à tali ministerio excludendos. Ita Laym. *ibid.*

35. An Religiosis, vel Monialibus, qui eas non dederunt Interdicto, concedatur, eodem tempore ministrare, vel recipere Eucharistiam quique suam sular privilegia. Ita Bonac. *ibid. num. 9. Vide Suarez & Sà apud Layman, lib. 1. tract. 5. p. 5. c. 2. num. 2. et res Religiosis & Monialibus concedi tunc Communionem, quia hi communiter habent ad hoc speciale privilegium.*

36. In die Paschatis denique an liceat etiam communicare? Dic secundum communem opinionem non licere: Ita Sayrus, Avila, Alterius, apud Bonac. *ibid. s. 2. num. 12.* licere autem secundum probabilem Suarez, Coninch. apud eundem Bonac. *ibid.* P. men Filiuc. *tom. 1. tract. 18. cap. 2. num. 41.* in p. servandam esse loci consuetudinem. Quid si nulla reat introducta consuetudo? Iam alterutram ex opinionibus sequi potes.

37. Quod dictum est de die Paschatis, die Natalis Domini, Pentecoste, Assumptione Virginis, totaque octava Venerabilis Sacramenti, non potest licet tunc à Fideiibus communicari ex probabilis sententia multorum citat. à Coninch. *disp. 17. de interdictis n. 36.* Sed est etiam probabilis sententia aliquorum citat. Coninch. *loco cit.* citante Suarium de *Censuris num. 1.* quod possit. Ratio utriusque sententiae est, quia de hoc cap. *Alma Mater*, addita Martini V. extensione, conceditur pro dictis festivitatibus solemniter divina celebrari, multi inter divina officia non comprehenduntur Communionem: aliqui comprehendunt: cettè ut dictum est, probabiliter.

Pari modo ex communiore sententia cum Suarium *Censur. disp. 34. sct. 1. n. 39.* hæc festa, in quibus divina officia celebrare, solum comprehenduntur, non solum primum dictum diem festi, quia ille solus in p. est festum Paschatis, Nativitatis, &c. At Soto, & alique apud Coninch. *loco citat. n. 37.* etiam probabilem Paschæ, & Pentecostes nomen extendunt in interdicti ad duos sequentes: Natalis verò ad sequentes, quia omnes dies hi verè sunt festivi (maxime vorabilibus) pertinentes ad eadem solemnitatem.

F I N I S.

Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac B. Aloysio Patrono meo.